quæ sunt instituta in Germania Imperatoris, Principum, Episcoporum, Abbatum munificentia fiant illustres, ac omnibus gratiosæ. Et alia opportunis in locis recens instituantur. In his nullus ministret nisi catholicus præsit singulis, Theologus a Sede Ap.ca probatus, et honesto donatus stipendio si Religiosus non sit, sin Religiosus fuerit accipiat unde iuxta sui instituti rationem uiuere, et suum ministerium implere possit. In editione uero librorum obseruetur cathalogus editus Romæ sub Paulo iiij. cum moderatione S.mi D.N.

Illud uero est maxime procurandum, ut ij libri excudantur, e quibus maxime possint religionis causa iuuari.

Quæ dicta sunt de Typographijs, non de Germanicis solum dicta esse intelligimus, sed de alij omnibus catholicorum Tipographis.

Illud autem primis uotis omnes boni desiderant magna etiam animi pietate, atq humilitate orant, atq obsecrant, ut dignetur S. D. N. Romæ Apostolicam

instituere

instituere Tipographiam amplissimam, ac celeberrimam, cui præsit congregatio, quæ selectos habeat bonos, aut ternos uiros in singulis disciplinis excellentes, quorum consilio utatur et opera ad iudicium de auctoribus habendum ad exemplaria suæ fidei restituenda ad Typographiam totam gubernandam. Beneficio huius ~~[illegible]~~ Typographiæ poterunt omnes ueteres auctores, tum sacræ etiam litteræ suæ ueritati ac nitori restitui; reijci uero omnes hæreticorum uel peruersorum omnium depravationes. multi præterea edi auctores poterunt Ecclesiastici non dum typis excussi, et bonarum etiam artium probati scriptores. De neotericis porro scriptoribus haberi debet ~~[illegible]~~ delectus, ut illi typis dentur, qui uideantur digni Apostolica caleographia.

Posset negocium restituendæ germaniæ iuuari si S.mus D. N. Principes Germaniæ, ac nobilissimum quemq inuitaret amplissimis, et uerissimis pollicitationibus